



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 15 Requiritur-ne ad validitatem Sacramenti, ut v.g. baptizans sciat quæ sit intentio Ecclesiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

que societas ulla esset ita credentium, neque ille qui acciperet, ita crederet, sed totum ludicrè & mimicè, & joculariter ageretur: utrum approbandus esset Baptismus qui sic daretur: divinum iudicium per alicujus Revelationis Oraculum, concordi oratione & impensis supplici devotione gemitibus, implorandum esse censerent; ita sanè ut post me dicturos sententias, si quid jam exploratum & cognitum afferrent, humiliter expectarent. Cur, inquam, cum talis tantusque Doctor Ecclesiæ non ausus sit hanc Controversiam definire, nos audeamus eam decidere?

Resp. Facile respondemus, nos jam in Ecclesia habere quod desiderabat sanctus Augustinus, cum hæc Controversia definita fuerit à Conciliis Florentino & Tridentino supra relatis.

Quest. 15. Requiritur-ne ad validitatem Sacramenti, ut. v. g. baptizans sciat quæ sit intentio Ecclesiæ?

Innocent. IV.
super C. Si
quis pueriam
de Baptismo.

Resp. Non est necessarium, modò verè intendat baptizare, quod quidem Innocentius Papa IV. asserit. *Non est, inquit, necesse quod baptizans sciat quid sit Ecclesia, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia; imò si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat; nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat.* Atque hoc modo intelligendus est Innocentius IV. quod scilicet vult solum ad validitatem Sacramenti, ut is qui baptizat observet formam Sacramenti, & habeat præterea veram baptizandi intentionem, licèt non sit necesse, ut velit per Baptismum conferre gratiam sanctificantem baptizato, quod vult tamen Ecclesia.